



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

71. Charitas Xau. in socios.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

dere propius, manumque, palpando pectori terdere, quam illa brachio-
rum iactatione repellebam, ut ruptis ea vi venis aliquot thoracis ore
sanguinem fuderim.] Hæc Vasquez. Cæterum tam procul ab occasio-
nibus abstinebat sese, ut nisi adactus caritate perditas in viam retrahendi,
nunquam cum feminis extra publicum ageret, & quambrevissime, graui-
que semper, & modesto affatu. Redeamus nunc ad spontaneas ipsius af-
flictiones, in quibus tunc non solum multus erat, cum paulum à mari,
ærummis, itineribus, labore feriatas, domi ageret inter nostros; verum
etiam tum, cum Apostolici muneris assiduis fessus fractusque molestis.
Lectum illi sternebant, & cervical, in nauibus collecti rudentes; in ter-
ra, nuda humus; aut si molliùs, arena littoris sub dio quàm nox occupaf-
set. Ieiunia in biduum, triduum, interdum hebdomadam producta, ne
panis quidem admittit buccæ. Tradit vnus ex eius comitibus, cibum eius
subinde vix oboli pretium æquasse, sumptus prandentis in ora Piscaria,
quidam illinc his verbis describit. [Vino vnus est nunquam, nec pane
triticeo, nisi si quando ab Lusitanis inuitatus, tunc enim appositis abs-
que discrimine vtebatur Solus, & cum suis Oriza victitabat insulse
condita; cum p se, coctura simplici parato, vel amaro lacte: diebus ce-
lebrioribus, placentam iubebat, ex oriza componi, monebatque suos,
in iis delitiis Deum laudate meminissent, nec inde largius sumere quam
ad vitam in Dei obsequio fulciendam.] Ita ille. Sed annis duobus, &
sesqui quos conuertendis Iaponibus impendit, etiam pisce abstinnit, ne
suos Bonzios ethnici, asperitate victus Euangelij præconibus anteferrent.
nonnunquam & menses exegit, orizæ pugillo, & aqua contentus, iter
interea per nitosa & aspera faciens, sarcinaque onustus inmitis merca-
toris, quem in equo currenrem, nudis pedibus sequebatur, vigeat tunc
etiam in regnis Iaponiæ admiratio vitæ adeo austeræ, & intolerandæ,
cum eò Melchior Nonnius peruenit, narratque præter alia Iapones,
vitam radicibus aluisse, quarum amarities insignis vel tantum delibari
absque grani molestia non posset; per frigidissimas regionum illarum
hyemes peregrini accinctum chlamyde incessisse & perpetendi con-
stanti duritie, parem illi ex Bonziis fuisse neminem. Malacæ in specum
prope urbem vel in solitiam insulam secedebat, trahebatque illic heb-
domadas vigiliis, ieiunio, aliaque suimet diuexatione. Postremo huc spe-
dat heroica illa, & frequens de seipso victoria, bibenda pedum colluue
quos pauperibus lauerat; sorbenda sanæ & corporum leproforum, & pure
vicerum exfugendo. Talem enim se sibi præstitit S. Pater Franciscus,
corporis, sui hostis crudus, & pertinax velut mancipij refractarij,
quamuis nunquam non illo facili, & obsequentiissimo vteretur totiuf-
que suæ Apostolicæ expeditionis & periculorum, terra marique con-
sorte fidissimo.

Suos vero contra in Prouincialis officio, mitius quouis Patre tene-
ritusque procurauit. Eorum neminem quoquam vnquam misit; nulli
aut vrbi, dempto Ormuzio, aut regno, seu foret ethnicum siue Chri-

71

Charitas Xau.
in focias

X x 2 stianua

stianum, quin eo se antea contulisset, & periclitatus vadum, mensurque
 laborum grauitatem, explorasset eorum tum animi, tum corporis vires,
 in iis sana vtriusque, & tolerabili valetudine duraturas. Inde onera ap-
 tabat humeris, & partes laborum iis adaequabat; quam item ob rem pra-
 ceperat, quaecumque ab ipsis gererentur, de iis ad se particulatim per-
 scriberent, vt hinc ipsi constaret verius, eequid detrahendum, vel adji-
 ciendum labori esset: hinc illi etiam impromptu defensio extitit: qua de-
 lationi amicae satisfecit, ardentem magis quam prudenter ab religioso viro
 datae. Improbabat is longinqua itinera Sancti Patris, & caritatis offi-
 cium credidit, si Franciscus Perez, qui nostris Malacae praerant moneret-
 tur [esse videlicet P. M. Xauerium virum plane Sanctum, sed fore san-
 ctioem si minus peregrinaretur; esse nimium ambulonem, iamque ipsi
 de medio illo quod iret, Orientis orbe nihil restare] Ita quidem vir bo-
 nus, qui pro ingenti quem edebat Malacae animarum prouentu Xauerius,
 optasset illum ei vrbi aeternum affigi, contra mentem summi Pontificis,
 a quo in Africam & Asiam fuerat Apostolici nuncij munere instructus;
 praeterque Dei consilium quo ad vltimos fines Orientis Christi nomine
 illustrandos creatus Apostolus. Significauit Perez candidè sancto Patri,
 religiosi amici sensum, cuius ille affectum gratissimum habuit, & cum
 suppeterent permulta grauissimi ponderis quibus prohiberetur aliter
 facere, hac vna ratione satisfactionem definiuit, non licere sibi suos caeco
 instinctu, & temerè in ea qua nesciret loca diuidere, ne forte aliorum lu-
 craturi salutem, sua exciderent; diuersitatem soli, diuersam virtutis, &
 naturae temperiem a cultoribus exigere, de regionum ingenio, & mente
 incolarum longe aliter sentire quos praesens experientia docuisset, ab iis
 quos fama, & absens narratio.] haec ipse admodum placide. Iam mor-
 bis suorum consolatione idonea leniendis, & subsidio leuandis, mirum
 quam esset sollicitus. Vnum ex India remisit in Europam vt commo-
 dioris caeli salubritate iuuaretur, deditque illi commendatitias virtutis
 ipsius literas. Alteri iam semitabido laboris nihilo segnius amanti, urbem
 Christianam, maritimam, tepidioris aerae, ac facilis occupationis assi-
 gnauit. Goam procul adueniens offendit fratrem in extremis, cui exe-
 quiae parabantur, eum complexu, contactu frontis, & precatiuncula sa-
 nauit. Verum sensu haud paulo acriori pungebatur, si cuius salutem
 aegritudo animi tentaret. Antonius Vazius Goae tiro, virtute vt annis
 iunior, de se postea referebat, sollicitatum se tunc tam importuna vi ad
 repetendas Aegypti ollas, vt missionem peteret ab Societate: id vbi resci-
 nit Sanctus Pater, accitum ad se adolescentulum suauissime compellans,
 vis ergo fili a nobis discedere? nulloque praeterea addito, paucis illis fa-
 scinatam quodam modo animum, ita sibi repente reddidisse, vt ex eo ad
 octogesimum aetatis nunquam omnino vacillarit. Suo autem praecipuo ad
 firmandum religiosum propositum emolumento non caruit, viri Sancti
 praecleara excogitatio, vt pro libris ad mensam, quisque accumbentibus
 caeteris, narraret qua via & ordine vocatus esset in Societatem, eamque
 historiam interpungeret commendatione diuinæ bonitatis, & grati animi
 moti

motibus, prout suus cuique dicitur affectus. Quod autem subinde vel priuatus ardor, vel Sancti exemplum ad magnos in Dei gloriam conatus, nonnullos ageret, ratiq̄ se illic ubi versarentur tempus, & operam ludere, agros in quibus desudarent latiores optarent, & pinguiorum prouentuum; præclaros illorum laudabat spiritus, simul tamen premebat dulci, & necessaria consolatione, monens, fructus absentis magnifica specie, sed incerta; ne uellent præsentem qui esset in manibus, tenuem licet omittere: horum vnus Franciscus Enriquez animarum impiger venator; huic in ora Trauancoris, suus labor videbatur in auras uanescere, feraciorum esflagitabat campum, cui suas curas, & sacramentem melius crederet: reddidit vir Sanctus ad eum literas, quæ ob solidum interioris Philosophiæ documentum, suum hic locum iure promerentur. [Quanto, inquit, frater carissime, tecum istic per me, libentius, quàm per literas agerem! & si qua possem, laborum molestias leuarem, quas istic pro Christi gloria exhauris: nec me latet, earum leuamen te odisse, quod ex solutori uita in seculo ducitur: miseranda profus eiusmodi uitæ conditio, ut è conseruatio inuidenda fors, illorum quibus, ut ait Apostolus, *dignus non erat mundus*: ne te quæso tædeat operæ minus quam uelles fructuosè in neophytis, regnoque infideli, collocatæ, sub hoste Christiani nominis tyranno. Illud forte quàm putes præstantius quod agis, dum sagax infantes inuestigas, quos de Christi fonte beatæ paræ immortalitati; nam si circumspicere animo uoles, reperies profecto ex Indis uel albis, uel nigris paucos in cælum peruenire, nisi eos qui quatuordecim annis minores, cum baptismali innocentia excedunt è uita. Videtne frater carissime, te istic, ut dixi plus proficere quàm putes? id adeo cerni in pueris licet, qui à te baptizati, cælesti iam fruuntur beatitudine, qua nimirum carerent, si tu ex istis locis discessisses, neque eos per Baptismum Christo genuisses: enimuero sempiternus hostis animorum, te quem uehementer odit, quamprimum istinc excedere exoptat, ut ex isto Trauancoris regno in cæli regnum, nemo uocetur in posterum. Genus est eius insidiarum, maiorem alibi, diuini obsequij spem ostentare, ut in noua sollicitet arque auertat eos, qui utiliter ubi sunt operam nauant Deo. Itaque uereor ne te suo illo artificio aggressus idcirco sollicitet, ut te istis abigat locis. At memeto te octo mensibus quibus istic uersaris, plures animos conseruasse, moribundis infantibus baptizandis, quàm omnibus annis quibus in Lusitania, & India fuisti. Quare desine mirari cur tibi tantum facessat negotij Sathan: quippe ille id agit, id pugnat, ut de ista fregione expellat in aliam, ubi saluti consulat paucorum.] Et hæcenus ille ed eius ex literis, operosius foret ea exscribere, quibus significat de suis in Europa & India fratribus, quàm honorificè, quàm eximie sentiret. Incredibili affectu ab Ignatio petit ut per aliquem è sociis scribi ad se distinctè iubeat, quo statu esset Societas, quot intra extraque Europam haberet prouincias, si eo usque hanc Deus protulisset; quot, & locis quibusnam, domos, & Collegia obtineret? numerum quoque professorum;

fociorum nomina, & conditionem, qui doctrina & sanctimonia præcellerent. His enim legendis, leuatum iri magnopere laborum incommoda, quos, & erat perpeſſus in Iaponia, & expectabat apud Sinas, ad quos eſſet quamprimum profecturus. Quotquot ipſi noſtrorum ex India & Europa veniſſent epiſtolæ, ſubſcripta illorum reſcindebat ex iis chirographa, gerebatque ſecum, velut amuleta Sanctorum hominum, venerandæ dulciſque memoria; nec mirum appreſſa pectori eorum nomina geſtaſſe, quorum animo impreſſas fouebat imagines. [Finem (ait claudens longiſſimam ad Patres in Iudiam ex Iaponia epiſtolam) finem aliquando ſcribendi faciam, quanquam eſſe nullus finis poteſt, meæ erga vos vel vniuerſos, vel ſingulos beneuolentiæ declarandæ, ac ſi diuino inter ſe amore diligentiam, animi cerni poſſent, veſtras (fratres) effigies vtrique expreſſas in animo cerneretis meo, quod ſi forte in eo tanquam in ſpeculo, vos ipſos intuentes, veſtras minimè agnoſceretis imagines; id ſcilicet eueniret, idcirco quod, cum ego maximè virtutem veſtram ſuſpiciam, vos contra veſtram contemnatis infirmitatem, pro egregia veſtra humilitate haudquaquam vos ipſos in animo meo agnoſceretis] Societati præterea Romam ſcribens, [Nec vero ait, quia coniunctiſſimum corpora Deus panè infinito diſtraxit ſpatio, corporum diſiunctio quicquam de amoris mutui vinculis laxauit quibus adſtricti ſumus. Nam eſſi non vnà verſamur, vbi ſolebamus, tamen perpetuò ferè nos inter nos, mentis oculis cernimus; tanta eſt enim veræ germanæque amicitia vis, vt amici abſentes adſint, mutuoque aſpectu, & conſuetudine fruuntur: mea porro hæc omnium veſtrum tam perpes memoria, vobis potius accepta referenda eſt quam mihi; ſi quidem veſtræ preces, & ſacrificia, quæ pro me homine nequam aſſiduè facitis tantam hanc excitant in me veſtri memoriam, ac deſiderium; vos inquam, vos cariſſimi fratres in animo meo veſtras imprimitis ſpecies. Quod ſi mea veſtri memoria tanta eſt, fateor veſtram mei longè eſſe maiorem. Deus vobis pro veſtro merito gratiam referat; nam ego non alia ratione poſſum vobis ſatisfacere quam profitendo, me veſtris meritis ſatisfacere nullo modo poſſe]

Iis, vt loquitur, imaginibus ſuorum ita captus vt ægrè interdiu ab eorum ceſſaret cogitatione; haud mirum, ſi noctu & dormiens (quod ipſemet teſtatur) putaret ſe coram præſentes habere, cernere, audire, ſummeque iis, tamenſi ſomniis, animo, & corpore reſici. Ad hæc vt apud nos eduntur Societatis vota, inſtaurabat ipſe quotidie, velut ad eam tunc recens accederet: tribus diuitem ſibi pretioſe & mirifice caris reliquiarum thecam de collo portabat; oſſiculo Thomæ Apoſtoli qui fuit Chriſtianitatis Indianæ pater, ſubſcripto nomine; Sanctiſſimi parentis Ignatij, (aliorum enim quæ dixi chirographa extra thecam ferebat) & profeſſionis ſuæ ſua manu conſcripta formula: huic eius in matrem optimam Societatem incredibili ſtudio, planè tribuendum, quod periculofas turbas diuinitus viderit quas aduerſus illam è ſociis vnus, turbulentiſſimi homo ingenij, & nimium notus in Luſitania concitabat.

Xauerius

Xaerio adstabant nostri & inter mutuas salutationes precabantur faustam nauigationem, cum inopinato abalienatus à sensibus in lectum collabatur, iacetque illic aliquot horas immobilis, post ubi denique se recepit, ah! inquit, & reum de nomine notauit; Ignoscat tibi Deus, nec plura, quæ deinde ex Lusitania, qualia fuissent, plus nimio constitit, & mentis à corpore alienatio, collata cum improbis quos dixi motibus, in eadem momenta incidisse. Sunt quæ huc etiam faciant de hoc eius affectu intimo in Societatem vniuersam, & singulos, vt est complecti omnes de genibus quoties rediret peregrè, vel abiret: appulso ex Europa, lætis lachrimis, & festa comitate excipere: laudare passim per literas, pro cuiusque virtute, maximè defunctos, quorum primus Adamus Franceschius quem anno 1549. nondum Sacerdotem primumque de Societate, ex Indiis vt pie creditur, mors cælo transcripsit; post messem animorum copiosissimam infatigabili opera Cocini, & in ora Piscaria in qua vitæ finem imposuit collectam. De hoc ad Simonem in Lusitaniâ ita Xaerius. [Placuit Deo suauissimum fratrem nostrum Adamum Franceschium ad laborum præmium vocare; quos sanè multos grauesque exantlauit; vitæ mors eius egregiè respondit, vita quidem illius, quod & ipse oculis probauit, & mecum alij confirmant, Sanctitate floruit: vir erat insigni pietate, & ad infidelium salutem ingentis animi, & ardoris. Eius certe mihi apud Deum suffragia impensius expecto quam mea tribuo: puto enim in saluo consistere, & felicitate illa frui ad quam erat à Deo conditus.] Illud demum eiusdem, affectus in Societatem tenerissimi, quod alias memini si oblitus fuero tui, Societas Iesu, oblivioni detur dictera mea.

Sed hanc nihilominus amantissimi patris in suos caritatem, comitabatur æquo passu, prouidentia sedula sapientissimi rectoris; Mari quinque interdum, milliarium millibus remenso, illos reuisebat, inspecturus illorum viuendi, agendi, laborandique rationes, & si qua in paruo eatenus Societatis corpusculo pars male haberet, medicinam facturus; amputaturus si qua peruississet: & vero non paucos, esto manu suspensa, & sobria, sed forti firmaque amputauit, quorum postea in Societate vt quenquam reponeret nullis precibus se flecti passus est, ne Protegis quidem; & paucos prætulit Instituto pares, multis exemplo nocentioribus quam vtilibus numero. Nec illud sibi sinebat spe blanda meliorum, ac ne arte quidem ac studio animarum Deo quaerendarum, quos eorum nonnulli in tanta operarum penuria valebant plurimum (vt fuit Mansilla & Gomezjus de quibus nos pridem) non, inquam, eorum idcirco refractariam, fastuosam, intractabilem indolem clausis oculis ferebat. Conuersionem enim animarum quam profiteretur Societas, artis, aut industriae opus haudquaquam censebat esse, sed virtutis & Spiritus, cuius in alios redundet exuberantia; quam vero molirentur homines virtute deoque vacui, alienam esse ab Societate. Quare suis crebro in mentem reuocabat, æternis

Gubernatio
Xau. eximia.

[igni

ignibus torqueri non paucos, quorum permoti sermonibus complures probique effecti caelo fruerentur: sparsos quoque in dissita regna, subinde colligebat domum; vbi horas nocturnas cogebatur iis dare, quod quouis in loco degeret dies illi totos externorum salus praeberet; noctu igitur illos feruè horrabatur, exercebat serio ad virtutem, docebat scripto vnumquemque de officiis Apostolici numeris sibi concediti, eiusque iis germanos instinctus inferebat: nostri vero omnino persuasum habebant, de rebus Orientis, priuatim aut publice quicquid statueret id illi caelitus indicari: certè ambigi non potest quin peculiari diuini Spiritus impulsu in iis ageretur. Nam inscius Constitutionum quas primus post eius obitum Antonius Quadrius in Indiam detulit, sic tamen ex eorum mente Societatem gubernabat, vt si prius à Deo legendas accepisset quam Ignatius scribendas, nec videntur fuisse rectari aliter, Ignatius si foret in India, & Xaverius in Europa: cum eum ab suis animarum causa longe distraheret, praesentem se illis sistebat per literas, quæ si nobis de illo nihil suppeteret aliud, animi eius effigiem vel solæ ad vitium exprimerent; adeo totus in iis legitur, seque ipse perfectè nihil minus cogitans describit, dum pingit speciem, Euangelici ministri, & de suo exemplo, quod imitentur exemplar proponit, eas literas quocumque per Indiam, vbi nostros versari contingeret curabat transmitti, & ab iis ad amicos, ipsamque adeo in Europam eorum ibant apographa, velut pretiosæ orbis illius margaritæ, tanquam ab Orientali quodam vere hirundinum loco ad nos missæ vt male de literis impij, samburglici, impius aiebat Imperator. Illarum vna Maiorica perlecta, virum magnum Hieronymum Natalem Societati dedit, cum in debellando ipsius animo frustra Ignatius annos aliquot laborasset. Eas summi Pontifices, eas expetebant, expetiere Cardinales; his S. Philippus Nerijs diuino amore, & animarum studio incendebat sese, legendas tradebat discipulis, afficiebatur in Societatem magnificentius quam quibusuis eorum quæ à me referuntur. Earum nunc bona pars iuris publici facta, eo compendio lectitur, vt in Xaverium scire cadat quod de Martyre Cypriano Nazianzenus scribit. *Plures ipse per epistolas martyres fieri, quam illi ipsi qui martyribus assistebant.* Magno numero lecta capita strenuorum, & praestantium hominum de seculo in Societatem, ex Europa in Indiam pellexerunt, vt Christi gloria, & animarum saluti; profuso sanguine gloriosè litarent. Iam illa quæ prouidè ad sanctimoniam disciplinam, vtilemque laborem mandasset, accuratissime exigebat, & si qui ab iis exerrassent, miti & placida, vel si opus acri admonitione corripiebat. Ecclesiam Praesides, Goanum Episcopum, Cochinensem Vicarium, Meliaporensem, Malacensem, & alios volebat ab nostris omni demissionis Religiosæ officio coli, sic vt eorum ex nutu omnino penderent. In quo ipse tametsi Apostolicus Nuncijs tam excellenter iis praebat, vt si quando etiam publice in aliquem Praesulem incidisset, ad manus osculum in genua coram procideret; nec aut vllum, iter

Orat. de S. Cypriano.

aut negotium moueret, alicuius in Dei obsequium momenti, nisi consilio, & assentiente Episcopo. Commendat ex nostris Sacerdoti, Christianos vrbis S. Thomæ; accepit hunc, utique minus prudenter quam feruide à Vicario dissidere, illoque ab nobis amandando fortassis non abstinisset, nisi obseruasset eius senectutem, & veterem aliquam cum Ignatio commorationem, sed cordatissima grauissimaque epistola illius tumorem & imprudentiam castigauit. Exprobrauit homini quod ex sancto Ignatij conuictu, & consuetudine tam parum profecisset, imo quod ex ea damni plus quam boni, per imprudentiam retulisset, ac [falli-
mini, ait, tu tuique similes, qui absque insigni vestri demissione, rebus
ipsis populo probata, hoc solo quod estis de Societate, vultis omnia ex
arbitrio vestro geri; & flocci facitis virtutes quæ B. P. N. Ignatium in
tantum honoris, & auctoritatis extulere; auctoritatem ambitis, virtutum
ad eâ præsidia spernitis. Monet insuper præstare pauca tranquille ac pla-
cide agere, quam multa cum offensione ac tumultu; alioqui plura manu de-
strui læua, quam ædificentur dextra; & æquo maiora & immoderatus
appetenti omnia perire. Post hæc, & alia; subiungit. Per ego te amo-
rem; & obedientiam quam debes P. Ignatio, precor his acceptis Vica-
rium confestim adeas, & flexo coram utroque genu, petita errati eatenus
venia, manum illius osculere, quanquam mihi gratius fuerit si etiam pe-
des, foreque spondeas ut dum illic hærebis, nunquam ab eius nutu vel
vnguem transversum abeas, & gaudebis omnino, mihi crede, animam
acturus, quæ dixi fecisse. Certo confidenterque spera ubi te homines tui
contemptorem perspexerint impetraturum te ex iis, quicquid in auxilium
animarum, & Dei gloriam optaris. Si scias mi frater quantus mihi affe-
ctus hæc ad te dictauerit, mei diu noctuque opinor memineras, fortassis
etiam in lachrimas ieris. Si possent homines dum viuunt mutuos ani-
mos introspicere, tute profecto in meo reperires.] Hæc ille quibus boni
Patris, & boni Rectoris aptè officia copulans, acerbum, dulci; & cantu
pastorale pedum ex Nazianzeni documento prudenter miscuit. Illa de-
mum eius interposito Ignatij nomine, conueniendi Vicarij obsecratio,
quam sublimi loco sanctitatem Ignatij haberet ostendit, cuius nempe
obiectum erranti filio solum nomen, putaret posse illum in viam redige-
re. Itaque supremas ad eum epistolas distinctè inscribit [sancto Patri]
cumque compellans, vestra sancta caritas inquit, nec de illo cum nostris
(quod fuit illi per familiare) nisi Beati, Sanctiue titulo loquebatur,
eius ad se, suasque ad eum literas flens, ac de genibus legebat, scribebat-
que. Obtestatur ab eo ad se mitti Spiritus sui alumnus aliquem, suo
fictum pollice, & nutu, quem haberet animi præceptorem, stimulatorem
ignauitæ, & quo algebat frigoris depulsores; iniecta sibi, de carita-
tis ipsius fornace scintilla. Nec semel paratissimam ad quæuis Obedien-
tiam illi defert, breuitate illa cupiens ab eo percipi, tacita qualibet am-
pliori explicatione quæ desiderio petitionem adiungeret, se nimirum eo
tantum

tantum innuente totis decessurum Indiis, totoque Oriente, iteratoque Oceano aduolaturum ad eum reuifendum, ponendaque sub eo deno religiosi tyrocini rudimenta. Atque hic mihi de magni Xauerij gestis, ac virtutibus limes esto.

Sequentur quamprimum, si Deus annuerit, gesta deinceps in Asia à Patribus Societatis IESV qui Xauerij labores amulati, eam religiosa opera coluerunt.

